

1354 ter triremem unam, quæ in ea trepidatione elapsa est, eo die amissam. Quod si sic est, affirmare ausim, eodem casu Venetas naves a Ligure interceptas, quo paucis ante annis ad Carystum Genuenses a Veneto, atque eodem ipso Pisano, si Venetis triremibus (quod quidam tradunt) tunc præfuit; eumque suis artibus captum, sed longe majore Reipublicæ damno, quam ipse olim hostem affecisset. Ferunt, pridie quam Veneti cladem illam fœdissimam accepissent, manifestissimis prodigiis eis demonstratam: corvorum vim ingentem supra classem conflixisse memorant, atque alteram interim partem ita vexatam, ut plumæ cruorque fusus in Venetas triremes deciderit: remigem ad id ex sua na vi in proximam transfilientem, ab immani pisce devoratum. Eiusmodi cladis nuncio perculsa civitas, nunquam alias majorem cladem acceptam prædicare: vulgo actum de summa rerum credere, si victor Ligur ad urbem infesto cursu annavigasset. Ubi Dux? ubi triremes? ubi copiæ paratæ essent, quæ illum a fauci bus portus, a civium cervicibus injuriam arcere possent? Ingentem omnino cladem accipiendam, nisi (quod saepe evenire consueisset) hostis nesciens uti victoria, alio cursum detorsisset. Quod ita sane accedit. Nanque victor Aurius præsenti successu contentus, domum cum tota classe abiit: ubi non magis illustri victoria, quam præda conspicuus, ingenti populi læticia ingentique plausu acceptus est. At Veneti (ut mira gentis est in adversis constantia) eam bel li laxationem neque desidia neque cunctatione trivere. Siquidem continuo ad reparanda arima conversi, paucis diebus quatuor triremes optime instructas ad præsidium sinus eduxere. Sed non illæ tam celeriter expediri potuerunt, quin tres hostium triremes prius finum ingressæ, onerarias quasdam, quæ ex Creta domum redibant, intercepissent: affecissentque majore omnino incommodo Histriæ & Dalmatiæ accolas, nisi eorum conatibus subito itum fuisset obviam. In hoc statu

*Prodigia
hujus clas-
sis.*